



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 181. Congregaverunt ad eum universam cohortem. v. 27.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

§. 181. *Congregaverunt ad eum universam cohortem. v. 27.*

Milites qui erant pro custodia Pilati, vigilantes circa prætorium, non suis contenti nequitiis, quas exercebant in Iesum, congregaverunt primum totam cohortem (absque dubio instinctu & suasionem invidorum principum Iudæorum) ut Christum quasi fictum pictumque regem Iudæorum per ludibrium regis insignibus ornarent & salutarerent: est enim militum genus crudele, & quidem sub Romanis eo tempore valde sævum sæpe voluptatem capiens ex contumeliis. cohors autem erat decima pars legionis, continens milites 1250. quis autem hic non obstupescat, non contremiscat? omnibus membris, ad tantorum militum furentium adventum? quis nobis hic exponet quanta cum rabie & insultatione Christum invaserint? quis sibi temperare poterit à lacrymis, contemplans quid quisque militum faciat, circa Iesum & cum eo. hic tenebat, alter ligabat, unus catenas, alter funes parabat, pars virgas, pars spinas, cum omni ludibrio. In summâ, alii quidquid poterat inveniri ad Christi castigationem crudelius asportabat. Non possum hic continere lacrymas. video enim caput sanguine madidum, dorsum, ventrem, pedes, brachia, sanctissima membra Iesu mei intumescere ante flagellationem ô quis non fletet contemplans hoc crudele spectaculum!

ET quomodo, suavissime Iesu, tui unquam de corde oblivisci potero? quomodo ulla alia pro te laborare mihi libebit, quam ut sublimi amori tuo vicem reddam: iam vero si nullies me ipsum rependam, quid sum ad Dominum meum? tu enim es Deus, ego homo, tu Creator, ego Creatura tua, tu sanctus & immensus, ego fragilis & vilis peccator. Veruntamen conabor tuo suffultus auxilio, ut admirabile hoc opus nunquam è mea memoria excidat, quod tu Dominus dominantium, non modo velut servus, servorum, sed etiam Iudex Creaturarum omnium, veluti reus à tuis Creaturis malè imò pessimè, coarctatus & tractatus fueris & quidem pro salute ipsorum! Domine, fateor me non posse loqui.

§. 182. *Et exuentes eum. v. 28.*

Suis scilicet vestibus, nempe toga inconsutili, quæ cum ipso creverat, & quæ à S. Helena conquesta S. Agritio Trevirorum Archiepiscopo donata, hæcenus in ea Ecclesia servatur, & nunc dum hæc typis edo, post 70. fere annorum, ob bella, latebras, iterum Festo Ascensionis Domini & Pentecostes, & S. Ioannis ostenditur Treviris, ingenti hominum concursu. Aliis item vestibus, ita ut totus denudatus ligaretur ad columnam, omnium oculis pateret nudam amabilem & formosissimum Corpus Iesu, in sui maximam ignominiam! & quidem ad flagella. ô ignominiam! si enim nuditatem

P 3

ipsam